



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

I. Lutherani à Colloquio VVormatiensi turpiter discedunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

*Am Civis. Peragit tutus sua sacra sacerdos:
Pastor tutus oves agit, & mare navita sulcat.
Nimirum hanc nobis peperit tua cura quietem:
Subque tua dextra tuti requiescimus umbra.*

VI. Sed in Hispaniam redeamus: in qua ad Inquisitionis tribunal non quæstiones tantum de hæresi, verum etiam blasphemiarum, & in Deum ac Sanctos contumeliosæ voces deferuntur. Sic Michael de Barro Navarræus & de Rege suo bene meritus, Ordinis S. Jacobi Commendator, quum aliquando *por vida de Dios*, id est, *per Dei vitam jurasset*, triginta & unum dies in compedes fuit coniectus. Quare quum apud Regem esset questus, Rex filium suum ipsi socium se additurum respondit qui catenarum pondus dimidium cum ipso ferret. Ita enim de se meritum esse, ut lubenter juvare ipsum velit: hac vero in re nullam aliam gratificandi rationem dispicere. Et conclave quidem carceris hic habuit aulæis ornatum, & cetera omnia non minus quam extra carcerem magnifica: compedes tamen ac catenas non minus duras ac graves quam de vulgo quis ferre cogebatur. Beza ut Imagines suas auctiores faceret, etiam Pontium Leonem admiscuit, tamquam gloriosum martyrem ad cælum usque laudibus efferens. Sed nihil hoc mirum. Ejusmodi hominibus liber ille plenus est: qui diaboli potius quam Dei sunt martyres. Pontius enim hic præter hæresis crimen, peccati quoque nefandi convictus, & ab Inquisitione damnatus fuit. Sed cur Beza non liceat eos laudibus ornare, quibus idem, quod ille cum amasio suo commisit, (ut ipse non dissimulat, & alibi nos indicavimus) peccatum placet? Habeat ergo suum sibi Pontium qui sub tali iisdem vitiis infami præfecto, optimo jure hæreseos signifer esse meretur. Sed idem Beza alium suis adnumerat, qui tamen suus non est. Cafallum dico, qui præceptor fuit Joannæ, Caroli V. Imperatoris filia, Joanni postea Lusitanæ Regi, Sebastiani patri nuptæ, ejusque infigne Xenodochium & monasterium Madriti ædificavit, in quod postea Maximiliani Imperatoris vidua, ejusdem Caroli V. filia, concessit. Sed de Cafallo res sic habet. Postquam suo ipsius testimonio hæreseos convictus, & ab Inquisitione ut vivus combureretur, damnatus esset, multi Hispaniæ magnates, ut vitæ ei gratiam faceret, apud Regem intercesserunt, spe facta fore ut hæresin ejuret ac detesteretur. Quibus Rex respondit, si filia quoque sua vel micam haberet hæreseos, eam se justitiæ ultro traditurum. Cafallus dæmonium se videns, boni angeli inspiratione monitus, de animæ

sua salute sollicitus esse, erroresque quos amplexus fuerat considerare cœpit. Cum docto ergo homine colloquutus, & tandem, quamvis doctissimus esset, erroris convictus, publice hæresin ejuravit, & remisso Novatorum doctrinæ nuncio, Catholicæ Ecclesiæ fidei se consignavit, & ad Romanæ Ecclesiæ unionem rediit. Hac victoria lætus Rex, supplicium homini leniri iussit: qui ad locum supplicii productus, *longam & doctam de conversione sua orationem ad populum habuit, ac protestatus est, se non ut Protestantem infidelem, sed fidelem ac bonum Catholicum, in fide Ecclesiæ Apostolicæ Romanæ, extra quam salus non sit, moriturum.* Quam confessionem etiam mox sanguine suo obsignavit, glorioso triumpho in cælestem Beatorum sedem receptus. Hoc modo vitam Cafallus clausit, cum æterno hæreticorum opprobrio, qui impudenti sane mendaciis suis eum accensere non verentur, mentitis martyribus.

DE IIS QUÆ IMPERATOR FERDINANDUS post Caroli fratris discessum, ad Catholicam stabiliendam Ecclesiam egit.

CAPUT SEPTIMUM.

ARGUMENTUM.

- I. Lutherani à Colloquio VVormatiensi turpiter discedunt, inter se divisi & se mutuo damnantes.
- II. Miraculum Augusta Vindelicorum factum.
- III. Maximilianus Ferdinando Imperatori succedit.
- IV. Protestantes de auxilio contra Turcam sollicitat, qui tergi versantur.

I. FERDINANDUS quamvis ut Imperii, ita & studii fraterni in Ecclesia Catholica tuenda successor esset: tamen quum à Turca, qui Hungariam pæne totam jam pervaserat, externum bellum immineret, coactus est, ut Germaniæ statum talem, qualem à Carolo acceperat, conservaret, ad pacem domi constituendam omnem operam conferre. Itaque conventu imperii Ratisbonam indicto, qui ad finem Anni 1556. captus in sequentis anni ver protractus est, Protestantes Principes non semel interpellavit, ut in fœderis adversus Turcam societatem secum venirent, reliquiaque Hungariæ & Transilvaniæ conjunctis copiis defenderent. A quibus contra petiit, ut Religionis controversia decideretur, quoniam id à Consilio, ob incidentes bellorum motus, factum non esset. Imperator quem cautiorem jam

E fecerant

fecerant præteritarum rerum documenta, æquum non esse respondit, ut causæ ad Ecclesiam universalem pertinentis, soli Nationi Germanorum permitteretur diiudicatio: victus tamen ad extremum tum importunitate Protestantium, tum Catholicorum spem certam victoriæ Imperatori facientium, confidentiâ; ut ad colloquium veniretur VVormatia ad xiv. Cal. Octob. concessit.

Quia vero tota Germania spem conceperat, fore ut dissensiones Religionis causâ oborta in illustri hoc conventu diuiderentur, propositum est mihi formam ejus, ritum & eventum breviter enarrare. Indictum erat Colloquium Anno m. d. lvii. inter duodecim Theologos Catholicorum, & totidem Doctores Confessionistas, præside Spirensi Episcopo. Notarii constituti erant ad Acta Disputationis excipienda, hac conditione, ut ea scrinio inclusa, cujus clavis penes Præsidentem una, penes Doctores Catholicos una, & penes Lutheranos item una esset, ad diem Comitiorum Imperialium aservarentur. Et ne res abiret sine fructu, tum Principum tum Theologorum causâ, decretum erat, ut quatuor utrimque Principes negotio interessent: quibus vel morte, vel morbo, vel alia ratione impeditis, alii qui eorum vicem supplerent, nominati fuerant. Numquam uti dicebam, tanta spes pacis, quanta tunc temporis, affulsit. Magna pollicebantur de se utrique. Catholicis, scientes causam suam fundatam in soliditate petra, adversus quam porta inferi non prævalebunt, & habentes viros illustri experientia, ex versariis Protestantium 40. annorum decursu inspectis, consensum etiam discordiarum grandium & multiplicium, quæ inter ipsos Lutheranos aperte grassabantur, constitutis, quasi aciebus, Flaccianorum, qui erant Rigidi, & Adiphoristarum, qui erant Molles, item Osiandrinorum, & Majoristarum, qui omnes de Justificatione, & bonis operibus &c. credendis aliter quam alii, sentiebant. Itaque ante constitutum diem Wormatiæ adfuerunt Catholicis: Item Flacciani cum Brentio: at Melancton primum cum Sociis ad initium Septembris advenit, quoniam hic Conventus, de Religione etiam suorum Symmystarum Horrebat, conscientia desertæ suæ, quam ipse Augustæ conscripserat, Confessionis. Horrebant igitur Molles venire in congressum Flaccianorum, & tamen declinare hoc tēpore impossibile eis videbatur, utpote à principibus suis missos. Tentarunt igitur hi inter se ipsos discordes Reformatores, an aliquo Syneretismo sua Schismata possent componere, tum Francofurti tum Worma-

tia, antequam cum Catholicis congregarentur, sed Spiritus vertiginis, qui erat in his rotis, neutro loco in concordiam viros discordiæ pervenire permisit. Brevissime res ita cecidit. Ante congressum cum Catholicis Theologi Lutherani Rigidi, jussu suorum principum, videlicet Vinariensium, Saxonix Ducum, sub quibus Lutherus Schisma suum cæperat, urserunt Molles, ut anathematizarent saltem secreto Zvinglianos, Osiandrinos, Majoristas, & Adiphoristas, quod coacti demum revera fecerunt Molles traditis elare subscriptionibus, quæ ad Principes per Legatos referrentur. Atque hac larva concordiæ, Mollibus clam damnatis, cum Catholicis in colloquium venerunt. Cum igitur consedisent, Catholici Doctores opus esse affirmabant, *quum inter Catholicos & Confessionis Augustanæ Theologos insitit a sit disputatio, seclusis reliquis sectis omnibus, ut persona conferentes, religionem aperte suam profiteantur: se quidem omnes esse Catholicos, & unam fidem uno ore confiteri. Idem igitur velint Theologi Protestantes profiteri, ut constet mundo solum inter Confessionis Augustanæ & Catholicæ fidei professores colloquium esse habitum, & de religione concordatum.* Profuit in hoc articulo Protestantibus ad bene tempus quod larvatam saltem concordiam inter se inissent, ante Disputationem. Itaque eam professi, cum Catholicis i. egerunt de Judice Controversiarum, & hujusce disputationis: in qua actione, Catholici Ecclesiæ autoritatem decedendi vindicabant, cuius sententia in Concilio Generalibus, item perpetuo PP. consensu expressa sit audienda. Melancton contra ad Sacram scripturam & Tria symbola (Apostolicum, Nicenum Constantinopolitanum) atque Confessionem Augustanam, autoritatem hanc revocabat, satis fatue utpote adversus suæmet Religionis principia, excludens Conciliorum sententiam, & eandem in symbolis illis, præter scripturam assumendis, admittens, quodque multo erat turpius, Confessionem à semetipso compactam & solum quinque principum Germania & duarum urbium subscriptione initio firmatam, in locum Generalium Conciliorum surrogando. Disputatum est igitur acriter ab utraque parte. Catholici objiciebant Lutheranis arrogantiâ, quod nimirum se ipsos Sanctissimis omnium sæculorum Patribus, & suas opiniones, iudicio universæ Ecclesiæ, & consensui totius Antiquitatis anteponebant, hi, qui Novi essent ab heri & auditis tertius, coaliti, & tamen ne quidem inter semetipsos consentientes, quod satis convincant plures eorum factiones,

Factiones, Accidit hoc per molestū Protestantibus, præsertim cum à Catholicis urgerentur ut, si admittere debeant Confessionis Augustana dogmata, ipsi se prius redigerent in unum de illa sensum, & subreptitios sub eius præcepsu sectarum authores anathemate notatos rejicerent, atque à Consortio suo autoritate publica excluderent. Datam esse pacem Confessionis Augustanae decreto publico, id beneficium ad alias sectas non pertinere. Facile videt Melanchton hic procellam in caput suum parari, itaque demisse rogabat, ut de controversiis ipsis ageretur, sed zelotæ Flacciani intendentes detriumphare Melanchtonem & in eo alteram Saxonum, Vinariensibus infestam, domum, parendum postulationi huic Catholicorum censuerunt, & offerendas Præsidi Disputationis hujus condemnationes domesticarum hæresum, quas antea Legatis principum privatim obrulissent. Frustra deprecabatur hoc Melanchton, Flacciani enim tam propinqui victoriæ, anathema dicendum palam urgebant. Itaque Melanchton, cedens tempori, seipsum anathemate fecit aliquot conscriptis anathematismis, inter quos etiam Adiaphoristarum secta, cujus ipse author erat, condemnabatur. Interim protestabatur etiam de injuriis Flaccianorum. Brentius vero Osiandrum noluit damnari, quia in re & Melanchtoni & Flaccianis se opponebat. In hac perturbatione voluntatum Flacciani Julium Pflugium præsidem colloqui sponte accedentes ei protestationem offerunt in qua Zwinglianos, Osiandrinus, Maioristas sive Synergistas, & Adiaphoristas prompte damnabant, veluti alienos à Confessione Augustana, ideoque quo ad religionem attinet, nihil sibi cum iis sectariis fore commune. Atque in hunc modum Melanchton, qui Confessionem Augustanam ipse compegerat ab eadem post 27. annos, per suos discipulos fuit exclusus, & veluti à Lutheranæ Rep. proscriptus, & quod amplius est ipse sibi anathema, iusto Dei iudicio, vivens dixit. Et Flacciani quidem exhibita sua protestatione quasi ad hanc damnationem solum venissent, confestim iter ingressi sunt domum revertentes. Cæteri autem quinque Theologi Protestantium, nempe Schaepsius, Strigelius, Stosselius, Morlinus & Sarcerius recedentibus à communione aliis VII. Lutheranorum Theologis perstitunt. Unde colloquium hoc primo suspensum fuit deinde vero etiam plane dissipatum. Si quidem consulto Cæsare, quid in discordia Lutheranorum agendum esset, Lutherani, ne quidem eo jubente, & optante, conciliari deinceps non po-

tuerunt, & Catholici ignorabant cum qua parte eorum qui se & damnabant, & tamen Confessionis adherere asserebant, agendum esset. Nihil itaque actum est aliud eo colloquio, quam quod turpitudine Hæresis Lutherana indies in scissuras maiores prolapsa, mundo apparuit, quam Fridericus Staphylus, Jureconsultus, nuper à Lutheranismò ad fidem Catholicam reversus, præfens huic colloquio, utpote Ferdinandi Cæsaris & Ducis Bavariæ Confiliarius, qui cuncta Lutheranorum secreta noverat, edito libello vulgavit, sub titulo *Trimembris epitome Theologiae Lutheranae*, in cujus tertia parte de variis Lutheranorum sectis disserit, etsi eadem se Confessionis Augustanae professores esse affirmet. (a) Ita Lutherani, priusquam ad manus ventum esset, pugnam se subduxerunt, Catholicis instructa acie frustra prælium expectantibus. Mox ecce tibi scriptorum aculeatorum & mordacium certamina, Nicolao Amsdorffio & Nicolao Gallo, qui erant ex numero Excommunicatorum, adversus Melanchtonem & Brentium qui alterius erant factionis, insurgentibus, eosque hæreticorum fautores, Zwinglianos & Osiandrinos appellantis, qui veluti impii suis opinionibus Augustanae Confessionis velum prætexant. Nam in *Vormatiensibus Colloquio* (scribit Amsdorffius) Brentius & Philippus Melanchthon, quum ipsi Zwinglium & Osiandrum damnare recusarent, nos deridiculo habuerunt, & à Colloquio prorsus ignominiose repulerunt, quod ad disputationem progredi, nisi illorum prius damnato errore, nollemus. Quumque ii, qui post nostrum discessum remanserunt, aliam doctrinam ab ea, qua Augustana Confessione explicatur, se non propugnatos scripsisse testari sint, nihil minus tamen faciunt quam quod sunt professi, & non Zwinglianos tantum, sed & Osiandrianos sese ostendunt. *Controversia nostra* (dicebat Ratisbonensis Minister) *de gravissimis Fidei capitibus fuit, qualia sūt de Lege, de Evangelio, de Iustificatione, de bonis Operibus, de Sacramentis, de Ceremoniis: de quibus non potuit inter nos convenire.* Hic exitus fuit istius Conventus, aut potius Comœdiæ, & sumtu Lutheranorum, & cum eorundem ignominia actæ. Miser Melanchthon, vultu in terram dejecto, & corrugata fronte, pudore suffusus perpetuo suspiria ducebat: *Deus bone, inquit, cum qualibus & quam cerebrosis hominibus negotium nobis est? Actum est de Ecclesia Domini. Dixerit hic non nemo: O miseros Babylonis adificatores? alius Parruriunt montes unde*

E 2

[a] Vlenbergius vita Melanch. cap. 23. usque ex A.A. Lutheranis ibi cit.

nihil nisi fumus & orbis visus. An non jure omni hanc Babylonem compos mentis vitet?

II. Potro Ferdinandus septemdecim imperavit annis, quibus omnibus nihil in religionis negotio memorabile gestum est, nisi quod scriptis & libellis inter partes acerrime dimicatum fuit, interim ut sequenti Capite ostendam tum inter Protestantas, tum Catholicos, imprimis Staphylum, nam in hunc omnes pariter insurrexerunt, qui in Trimembri epitome Theologiae Lutheranae, sese in lucem aliter, quam vellet protractos è suis latibulis, dolebant. Ex Protestantium numero quidem Melanchton Anno 1558. Atro felle scriptum edidit, eo quod ipse esset creatus Dux ternæ Phalangis Evangelicorum, & tunc sumtus est Flaccus Illyricus, Andreas Musailus, Jacobus Smidelinus, & Longinus Schvvenckfeldianus, &c. quibus omnibus idem Staphylus unam nervosam responsionem opposuit, hoc titulo insignitam; *Contra aedificatores turris Babylonica Responsio*. quo viso Melanchton se pugnae subtraxit, nec Staphylum deinceps laceffivit. Cum vero turpitudine illa Lutherani Schismatis indies magis pervulgaretur, acrius de medicina luxato corpori adhibenda captum est cogitari, quam cogitationem Melanchton probavit; sed opere impleri posse desperans dixit demum verissimum hoc inter plurima falsa verbum. *Quod nostri principes tolli controversias cupiunt, voluntas laudanda est, sed conantur hydrae caput praeidere hoc Sycophantico saeculo. praedixerat hoc Lutherus ipse in captivitate Babylon. libro [a] Dabo operam ut negotium scribendi habeant copiosum, praecurram enim, ut dum gloriosissimi victores de una aliqua mea haeresi, ut eis videtur, triumphant, ego interim novam moliar.* Synodus opportunissimè videbatur esse remedium sopiendae discordiae, sed Melanchton restitabat, æque à suis, quam à Tridentinis PP. timens fulmen anathematis. In hac trepidatione & angustiis miser Melanchton reliquum vitae exegit, adeo ut ne quidem Wittebergæ sibi videretur esse tutus, uti ipse in Epistolis queritur, & sane fugam aliquoties tentavit, maxime initio Anni 1559. quo Flaccus in valde Decem sectis è Luthero ortis, anathema procuravit publice dici à Winariensibus Ducibus. contra quod Wittebergensis Academia insurgens, scriptum plane maledicum emisit. Sed dum se Lutherani concidunt Calvinismus sensim in Germaniam, & primo Palatinatum irrepit. [b] & Melanchton Anno 1560. moritur. Pacem optimus Imperator unice spectabat; quæ tanto

magis Christianæ Reipublicæ erat necessaria, quanto ei majora à potentissimo hoste pericula impendebant. Paulo vero ante mortem ipsius Augustæ Vindelicorum res accidit miraculo plena, quæ multos ad Catholicam fidem convertit. *Filia civis textoris à damone infessa, à patre ad Prædicantes Lutheranos liberanda deducitur. Hi exorcismis rem privatim aggrediuntur, sed frustra; diabolo omnes eorum conatus irridente. Itaque excusare se Ministri, & aterni Patris voluntatem ac decretum, qui pœna tempus nondum abbreviare vellet, obtendentes, patrem ad patientiam cohortari. Forte adevat è vicinia Chirurgi cujusdam Matthia nomine filia, Catholica religioni addicta. Hac demoniaca patrem rogat, ut sacerdotem quendam Catholicum, Patrem Simonem nomine, qui in templo Mauritiano concionabatur, accersiri curaret. Patre assentiente venit sacerdos, & homo ceteroqui inculpa vite, & in his rebus non inexercitatus; precationibus se dat, & aquam lustralem secum ad obsessam adfert. Quo illa conspecto, mirum in modum angit atque horribiles ululatus edere coepit. Quum vero ardentissima sibi torqueretur, ex aqua lustrali haustum sumere coacta, ingra vescentibus tormentis, multo crebrioribus atque atrocioribus iniuriis in sacerdotem; exorcismus intentum, debacchabatur, tanta cum vehementia, ut vix à sex robustis viris teneri ac constringi posset. Post longam quasi pugnam & frequentem divini nominis invocationem, diabolus taurina voce omnibus audientibus exclamavit, Nequissime sacerdos, numquam tu me hinc expelles; cedere tamen fortioritandem & creaturam hanc Dei relinquere compulsus fuit: quæ non pristina tantum forma & corporis valetudini restituta fuit, verum etiam anima salutem recepit, cum suis ad Catholicam Ecclesiam, in qua sola vera miracula fiunt, reversa.*

III. Defuncto Ferdinando VIII. Kal. Sextil. Anno 1564. Maximilianus filius successit natus Anno 1527. cum januante Anno 1562. VIII. Kal. Dec. in Regem Roman. esset Electus. Ei vix Imperium ingresso Turca omnibus viribus incubuit. Solimanus enim jam ætate provectus, ut victoriis suis colophonem imponderet, cum exercitu Hungariam pervagatus, Sigethum, positus castris, acerrime oppugnabat. Imperator accepta periculi magnitudine, Principes Augustam convocat, ut de auxiliis conferendis ageretur. Ibi Protestantas alia atque alia obtendere; nonnulli bellum quod tum inter Daniæ & Sueciæ reges gerebatur, in quorum

regnis
[a] Anno 2. b. [b] Vlenberg. Vit. Melanchton. cap. 23. & 24.